



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Canones.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ALEXANDER TURONENSE. FRIDERICVS I. IMP.  
P. III. LUDOVICVS VII. R. FR. 363

ANNO CHRISTI  
1163.

nos autem, Domino miserante, soluimus, qui confitemur nos non artificio ciuali, sed re ipsa interueniente naturaliter obligatos. Vtinam, bone Iesu, detur & mihi tecum pro spiritualibus tuis temporalia mea commutare! Vtinam sanguinem meum tibi pro tuo recipere placeat in solutum! Vel quia crediti & debiti sanguinis, scilicet tui & mei, inuicem aestimatio non concurrit, saltem benignissima acceptilatione liberatus absoluar, qua scilicet consueuisti iustitiam accepto ferre sine operibus, & præmia sine meritis, pro gratia scilicet bonæ actionis gratiam retributionis inferre.

TITULI  
CANONVM CONCILII  
TVRONENSIS.

- |   |   |
|---|---|
| I. <i>Vt prebenda qualibet non recipiant sectiones.</i>                     | VI. <i>Vt clericci auaritiam fugiant.</i>   |
| II. <i>Clericis usure prohibentur.</i>                                      | VII. <i>Vt decani vel archipresbyteri ad causas ecclesiasticas terminandas ab episcopis non consti-</i> |
| III. <i>Vt laici ecclesiastica non usurpent.</i>                            | <i>tuantur.</i>   |
| IV. <i>Vt cuncti Albigensium hereticorum consortium fugiant.</i>            | VIII. <i>Vt religiosi secularia studia vivent.</i>  |
| V. <i>Vt sacerdotes annuo precio ad regendas ecclesias non conducantur.</i> | IX. <i>Inualidas esse hereticorum ordinationes.</i>   |

PRAEFATIO.

**A**NNO igitur incarnationis dominice MCLXIII. in dictione undecima, anno quarto sui pontificatus, quarto Kalendas Iunii, saepe dictus Alexander papa in ecclesia sancti \* Mauritii Turonis Concilium celebravit, in quo interfuerunt secum cardinales numero 17. episcopi 124. abbates 414. & aliorum, tam clericorum, quam laicorum maxima multitudo. In quo nimis apostolica constituta sunt roborata, & haec noua promulgata capitula.

CANONES.

I.

Maioribus ecclesiæ beneficiis in sua integritate manentibus, indecorum nimis \* videtur, vt \* mi-  
\* esse vi-  
decus,  
\* iunio-  
rit,  
Concil. Tom. 27.

Zz ij

nores clericorum præbendæ recipient sectiones. Idcirco ut in magnis, ita quoque in minimis suis membris \* firmam habeant ecclesiæ vnitatem : divisionem præbendarum aut dignitatum permutationem fieri prohibemus.

I I.

Plures clericorum (quod mœrentes dicimus) eorum quoque qui prius \* secundum professione votis & habitu reliquerunt, dum communes usurpas quasi manifestius damnatas exhorrent, comodata pecunia indigentibus, possessionem eorum in pignus \* accipiunt, ultra sortem. Idcirco generalis Concilii decernit auctoritas, ut nullus amodo constitutus in clero, vel hoc vel aliud usurpare genus exercere præsumat. Et si quis haetenus possessionem alicuius data pecunia sub hac spe in pignus acceperit, si sortem suam, deductis expensis de fructibus iam recepit, absolute \* restituat debitori. Sin autem aliquod \* munus habet, eo recepto, possessio libera ad dominum reuertatur. Quod si post huiusmodi constituta in clero quisquam extiterit, qui detestandis usurparum lucris insistat, ecclesiastici officii periculum patiatur, nisi forte beneficium ecclesiæ fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laica videatur.

I I I.

Quamuis graue nimis & diuini dignum animaduersione iudicij habeatur, quod laici quidam quod sacerdotum est usurpant in ecclesiasticis rebus, maiorem id formidinem incutit ac dolorem, quod fomitem sui erroris, \* qui ipso Deo auctore,

ANNO CHRISTI  
1163.  
cuntur aliquoties  
inuenire:  
dum vacare afferunt, alant : dum quidam fratrum, & co-  
episcoporum nostrorum, aliorumque prælatorum  
ecclesiæ decimas eis, & ecclesiarum dispensationes  
indulgent, & in deuia eos mortis impellunt, qui  
prædicatione ipsorum ad vitæ viam fuerant reuo-  
candi. De quibus dicit Dominus per prophetam :  
*Peccata populi mei comedunt, & ad iniquitatem pro- oſſa.*  
*uocant animas eorum.* Vnde statuimus, vt si quis  
alicui laico in sæculo remanenti ecclesiam deci-  
mamque concederit, a suo statu tamquam arbor,  
quæ inutiliter terram occupat, succidatur, & do-  
nec se emendet, lapsum suum deflens, \* subiaceat  
dolore prostratus.

I V.

In partibus Tolosæ damnanda hæresis dudum  
emersit, quæ paulatim more cancri ad vicina loca  
se diffundens, per Guasconiam & alias prouincias  
quamplurimos iam infecit. Quæ dum in modum  
serpentis intra suas euolutiones absconditur, quan-  
to serpit occultius, tanto grauius periculum in sim-  
plicibus commolitur. Vnde \*contra eos, episcopos  
& dominos sacerdotes omnes in illis partibus com-  
morantes vigilare præcipimus, & sub intermina-  
tione anathematis prohibere, vt vbi cogniti fuerint  
illius hæresis sectatores, ne receptaculum quisquam  
eis in terra sua præbere, aut præsidium impertire  
præsumat. Sed nec in venditione, aut emptione a-  
liqua cum eis omnino \* commercium habeatur; vt  
solatio saltem humanitatis amisso, ab errore viæ suæ  
resipiscere compellantur. Quisquis autem contra  
hæc venire tentauerit, tamquam \* princeps iniqui-

Zz iij

tatis eorum, anathemate feriatur. Illi vero si deprehensi fuerint, per catholicos principes custodiæ mancipati omnium bonorum amissione mulctentur. Et quoniam de diuersis partibus in vnum latibulum crebro \* conuenerunt, & præter consensum erroris nullam cohabitandi causam habentes, in uno domicilio commorantur: talia conuenticula & inuestigentur attentius, & si \* vera fuerint, canonica seueritate vitentur.

V.

Quoniam enormis quædam consuetudo in quibusdam locis contra sanctorum patrum constitutiones inualuit, vt sub annuo precio sacerdotes ad ecclesiarum regimen constituantur: id ne fiat modis omnibus prohibemus. Quia dum sacerdotium sub huiusmodi mercede venale disponitur, ad æternæ retributionis præmium consideratio non habetur.

VI.

Non \* satis vtiliter in populo avaritia redargitur, si ab his qui in clero constituti videntur, & præcipue qui, contempto sæculo, religiosum nomen profitentur, regula quam susceperunt non obseruatur. Prohibemus igitur, ne ab omnibus, qui ad religionem transfire voluerint, alia pecunia requiratur: & ne prioratus, aut capellaniæ quælibet monachorum, aut clericorum, decimæ detractione vendantur: neque ab eo, cui regimen ipsarum committitur, pro earum commissione exigatur. Hoc autem simoniacum esse, sanctorum patrum auctoritas manifeste declarat. Vnde quisquis de cetero

ANNO CHRISTI  
1163. hoc attentare præsumperit, tam qui dederit, quam  
qui receperit, partem se cum Simone non du-  
bitet habiturum. Pro sepultura quoque, chrisma-  
tis, & olei sacri perceptione, nulla cuiusquam pre-  
cii exactio intercedat: neque sub obtentu alicu-  
ius consuetudinis reatum suum quisquam tuea-  
tur: quia diuturnitas non minuit peccatum, sed  
auget.

VII.

\* vices episcoporum seu Quia in quibusdam episcopatibus decani qui-  
dam, vel archipresbyteri, ad agendas \* ipsorum vi-ces seu archidiaconorum, ad terminandas causas  
ecclesiasticas constituuntur sub anno precio, quod  
ad sacerdotis grauamen, vel subuersione iudicio-  
rum non est dubium redundare: id ulterius fieri  
districtius prohibemus. Quod si facere præsum-  
perit quisquam, remoueatur a clero. Episcopus  
quoque, qui haec in sua diecesi sustinuerit, & eccle-  
siastica iudicia patitur dissimulatione perueri, ca-  
nonica distictione plectatur.

VIII.

Non solum maximopere antiqui hostis inuidia  
infirma membra ecclesiæ præcipitare laborat, sed  
manum mittit ad desiderabilia eius, & electos quo-  
que nititur supplantare, dicente scriptura: *Eſcæ* Iob 40.  
in exta 70.  
*eius electæ.* Est enim \* deſtitutus in genus hominum, qui quidem  
sine causa operari se putant, vbi preciosius aliquod  
membrum ecclesiæ fuerit, aliqua calliditate subtra-  
hant. Inde nimis est, quod se in angelum lucis  
more solito transfigurans, sub obtentu languen-  
tium fratrum considerandis corporibus, ad ecclæ-

siaistica negotia fideliter pertractanda , regulares  
 quosdam ad legendas leges, & confectiones physi-  
 cas ponderandas , de castris suis educit. Vnde hac  
 sub scientia spirituales viri mundanis rursum actio-  
 nibus circumdantur, & in interioribus eo ipso defi-  
 ciunt, ex quo se alios putant in exterioribus profi-  
 cere. De praesenti assensu huic malo obuiantes, sta-  
 tuimus , vt nullus omnino post votum religionis,  
 post factam in aliquo religioso loco professionem,  
 ad physicam , legesve mundanas legendas permit-  
 tatur exire. Si vero exierit, ac ad claustrum suum in-  
 fra duorum mensium spatium non redierit: ab om-  
 nibus evitetur, & in nulla causa, si patrocinium præ-  
 stare præsumperit , aut tentauerit , audiatur. Re-  
 uersus autem ad claustrum , in choro , capitulo, &  
 mensa vltimus fratrum semper existat : & nisi ex  
 permissione forsan sedis apostolicæ , totius spem  
 promotionis amittat.

## IX.

Ad hæc , ordinationes factas ab Octauiano, &  
 aliis schismaticis, & hæreticis, euacuamus , & irritas  
 omnes esse dicimus , & decernimus.

Deest decimus Canon , qui descriptus habetur Extrau. deponis  
 capite quarto. Haec tenus eiusdem Turonensis Concilii Canones. Le-  
 guntur iidem fere omnes apud Vvilielum Neubrigensem , sed in-  
 uero ordine.

## NOTA.

Schismati-  
 corum  
 excommu-  
 nicantur.  
 lib.2.c 15.

\* *Concilium.*] De hac Synodo Sigeberti continuator: In octauis  
 pentecostes , ait , Alexander papa , tenuit Concilium Turonis , in quo ex-  
 communicavit Octauianum cum aliis schismaticis & complicibus suis.  
 Ioannes Tyrius in chronico de regibus Francorum , anno 1164. qui  
 est 27. Ludouici iunioris, ait : Concilium Turonense sub Alexandro  
 papa habitum est , quo acta Papiensis Concilii , in quo Victor & Fri-  
 dericus presuerant , damnata fuerunt. Octo illi Canones qui in ap-  
 pendice occumenici Concilii Lateranensis XI. infra collocata, sub  
 titulo